

sub conditione, si Deus prius se determinaverit, sequitur evidenter ab illo rationem primi determinantis in statu conditionato tribui Deo, non autem creaturæ.

*Ad prob. 3<sup>am</sup>. T. 1<sup>a</sup>. p.* Quia ante decretum Dei liberum, sicut Petrus non existit, ita nec aliquid facit, sed solum facturus videtur, si daretur decretum divinum ponendi eum in certis circumstantiis cum sufficienti facultate; unde assertum de actuali decreto duntaxat intelligi debet. *D. 2<sup>am</sup>. p.* Hoc nec facit nec facere potest Deus eo modo, quo facit Petrus. *C.* alio modo *N.* Petrus ideo *objective* facit, ut in Deo detur scientia media sui consensus, quia, si talis daretur conditio, ipse consensum positurus esset: jam vero hunc eundem consensum simul cum Petro facturus esset Deus; adeoque et Deus aliquo modo *objective* facit, ut in se ipso detur haec scientia media. Cæternum quia Petrus *immediate* libere positurus esset consensum, Deus autem *mediate* libere; Petrus eundem alio modo facit quam Deus, Petrique solius respectu scientia media dicitur simpliciter libera *objective*, determinabilis et impedibilis: quod non magis absurdum est, quam quod Deus rerum essentias mutare nequeat.

*Inst. 1.* In hoc Systemate tribuitur Deo modus concurrendi cum creaturis liberis cæcibus, imperitus et indeterminatus. *Prob. 1<sup>o</sup>.* Modus concurrendi per concursum indifferentem sine intentione effectus particularis seu cum intentione tantum generali agendi quod creatura aget, est modus concurrendi memoratus: sed talis tribuitur Deo in nostro systemate; ergo. *2<sup>o</sup>.* In signo scientie mediae operatio creaturæ nec est determinata ad individuum a Deo; quia in hoc signo Deus nullum habet decretum actuale: nec a creatura; quia haec juxta nos ad individuum in nullo statu determinat; ergo. *3<sup>o</sup>.* Scientia media nihil aliud repræsentat quam creaturam esse operaturam, si Deus cum ipsa operetur; in quo nihil singulare est aut alias incognitum, cum haec veritas sit necessaria et omnibus evidens.

*R. N. Ass. Ad prob. 1<sup>am</sup>. D.* Iste modus concurrendi est cæcus, imperitus etc., si non includat intentionem dandi creaturæ omnia ad particularem effectum libere ponendum requisita. *C.* si haec omnia dandi intentionem includat *N.* Hanc porro intentionem includere modum concurrendi divinum etiam pro statu conditionato, patet ex *proxime dictis*; quibus et illud adjunge, quod gratia, quæ ad actum salutarem in quocumque statu prærequiritur, hominem etiam moveat, inclinet et alliciat ad bonum particulare, homoque eam non determinet, sed potius determinationem ejus et impulsu sequatur.

*Ad prob. 2<sup>am</sup>. D.* Operatio nec a Deo nec a creatura est ad individuum determinata absolute. *C.* conditionate *N.* Scientia media enuntiat quemlibet actum futurum in specie et individuo *sub conditione*, si adessent omnia ad agendum essentialiter prærequisita, inter queæ est decretum Dei negative determinans ad individuum, ut communius in Philosophia docetur: adeoque enuntiat illum futurum *sub conditione*, si Deus hoc decretum haberet; et hinc Deus videt actum in individuo conditionate futurum.

*Ad prob. 3<sup>am</sup>. N. Ass.* In quo vel inscite vel maligne ab adversariis confunditur concursus Dei simultaneus in actu *primo* cum eodem in actu *secundo*. Quid porro scientia media repræsentet, ex ipsius tendentia et statu questionis sœpius proposito satis notum est.

*Inst. 2.* Detrahitur libertati et omnipotentiæ divinæ; quod *prob. 1<sup>o</sup>*. quia posita et ab homine determinata hac veritate conditionata: si detur auxilium tale, non existet consensus, Deus non poterit pro suo libitu facere quod existat complexus ex hoc auxilio et consensu; imo antecedenter necessitatur ad coexistendum alicui contingentii absoluto, scilicet carentiae hujus complexus. *2<sup>o</sup>.* Quia possibilis foret creatura tum una, quam Deus pro libitu suo non posset convertere et prædestinare ad gloriam ut coronam, si nempe prævideatur omnibus auxiliis dissensura; tum altera, quam Deus nequiret indurare negative et propter demerita reprobare, siquidem prævideatur consensura auxiliis omnibus.

*Ad prob. 1<sup>am</sup>. R. 1<sup>o</sup>. D. 1<sup>am</sup>. memb.* Non poterit Deus facere, quod hic existat libere a creatura. *C.* quod existat non libere *N.* Posita scientia media de dissensu sub auxilio determinato, vel Deus obtinere nihilominus potest consensum, immutata aut ad statum absolutum non adæquate reducta hypothesi scientie mediæ; vel si eadem ex integro posita nequeat facere ut libere existat prædictus complexus, nulla inde emergit Dei imperfæctio, cum haec impotentia re ipsa nihil aliud sit, quam Deum non posse necessitare hominem, cui velit conservare libertatem.

*R. 2<sup>o</sup>. D. 2<sup>am</sup>. memb.* Antecedenter necessitatur indeterminate ad coexistendum carentiae illius simultatis seu complexus *C.* determinate *N.* Carentia illius complexus potest esse vel per carentiam auxiliis vel per carentiam consensus; quamvis autem Deus necessitetur ad carentiam complexus, liberum tamen eidem est, ut illi carentiae coexistat sive per primum, sive per secundum.

*Ad prob. 2<sup>am</sup>. R. 1<sup>o</sup>.* Admissa utriusque casus possibilitate, nec is sequitur ex scientia media, cum res non ideo futura aut possibilis sit, quia Deus prævidet, sed e contrario ideo prævideat Deus, quia res est; nec etiam sequitur absurdum in scientia media, cum absurdum non sit creaturam a Deo prævideri libere facturam, quod ipsa facere potest.

*R. 2<sup>o</sup>. D. Ass.* Moraliter possibilis forç tam una quam altera creatura, quæ etc. *N.* metaphysice foret possibilis *subd.* in hac providentia *N.* in alia *T.* Ratio cur in omni providentia sit moraliter impossibilis ejusmodi creatura, stat in eo, quod divina libertas convertendi, et propter merita propria prædestinandi creaturam, constitutatur per scientiam medium de aliquo auxilio *congruo*, libertas vero negative indurandi et propter demerita reprobandi per scientiam medium de aliquo auxilio *incongruo*: jam vero in omni providentia est moraliter impossibilis creatura, circa quam non habeat Deus scientiam medium de aliquo auxilio congruo et etiam aliquo incongruo; quandoquidem Deus creaturam liberam possit constituere sub infinitis circumstantiis, et vocare per infinita auxilia utrinque diversissima, quibus attentis nemo prudenter judicare potest aliquam creaturam consensuram vel dissensuram omnibus, ut insinuat S. Auc. L. 1. ad Simpl. q. 2. n. 14. *Cum alius sic, alius sic moveatur ad fidem, eademque res sœpe alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat... quis dicat defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, in qua Jacob justificatus est?*

Atque in hoc consistit *moralis illa impossibilitas*, ex qua pro præsenti providentia etiam metaphysica impossibilitas deducitur. Ex Scripturis enim et Patribus constat, Deum circa quilibet creaturam prævidere auxilia

alia congrua, alia incongrua: quin ex data ratione pro impossibilitate morali insertur tam congrua quam incongrua circa quamlibet creaturam esse *syncategoreticamente infinita*, et quodlibet conferri posse sub circumstantiis aliis et aliis in infinitum, cum quibus ut semper vel nunquam sit congruum, moraliter est impossibile. Quamvis autem creatura possit libere impedire scientiam medium, cuius hypothesis reducitur ad statum absolutum, non tamen libere impedire potest, aut potius re ipsa libere impeditura esset formalitates syncategoreticae infinitas scientiae mediae de infinitis auxiliis congruis et incongruis, utpote quorum hypotheses infinitae collective sumptae nequeunt reduci ad statum absolutum; adeoque restare solum potest, quod in alia providentia sit metaphysice possibilis talis hypothesis: quem casum etiam si quis supponat, quantumvis obstante morali impossibilitate, nihil absurdum inde elicit; cum per eamdem nihil aliud ponatur, quam posse a Deo produci creaturas liberas, nec violari velle libertatis usum sive ad bonum sive ad malum.

QUERES: An in Deo etiam detur Scientia media reflexa?

151. *Nota.* Advertisimus supra, inter eos, qui scientiam medium admittunt, controversiam agitari, an sicut Deus ante et independenter ab omni decreto actuali cognoscit, quidquid creatura sub quacumque conditione contingente factura esset, si et id simili modo perspiciat, quo ipse sub conditione sive creaturæ sive sibi immediate libera decreturus esset. In ea porro universim statuunt alii, Deum illas veritates cognoscere dependenter ab actuali decreto, et consequenter per scientiam visionis, non autem medium. Alii autem distinguunt inter cognitionis hujusmodi objecta; et siquidem cognitionem divinam assumat pro conditione *scientiam medium directam mere possibilem*, sive non reducendam ad actum seu realem existentiam, concedunt circa id objectum dari scientiam medium reflexam: negant vero, si pro conditione assumatur scientia media directa *actualis*, seu quæ actu ab aeterno fuit, maxime in decretis divinis; propterea quod haec scientia media directa non possit attingi suspensiva, nec per modum conditionis a scientia media reflexa contingente. Alii, admissa scientia media et reflexa de aliis objectis, negant, Deum prius sua decreta absoluta cognoscere ut ponenda, quam cognoscat ut actu posita, eo quod inter ea non detur prioritas rationis.

152. *Dico I.* Deus sua decreta libera, quæ nunc non habet, sed sub alia conditione quacumque conducente haberet, cognoscit per scientiam medium *reflexam*, et sic ante seu independenter a decreto actuali.

*Prob.* De decretis ejusmodi possunt formari propositiones contradictoriae; ergo cum ambae non possint simul esse verae vel simul falsæ, et earum objectum determinate sit vel non sit, altera earum determinata erit vera, altera falsa; ergo ut tales a divino intellectu, quem nulla latet veritas, sunt determinatae cognoscibiles; ergo si haec vel illa de cuncta Deus sub certa hypothesis esset habiturus, eadem se habiturus Deus certo cognoscit. Jam vero sine fundamento assuritur, quod ea non cognoscat nisi in aliquo decreto conditionali *actu* existente et ad omnes hypotheses possibles exorrecto; cum hujus

decreti nulla vel necessitas vel utilitas ostendi queat; ergo illa cognoscit immediate in se ipsis sive per scientiam medium *reflexam*.

*Conf.* Ex paritate scientiae mediae directæ. Nam per hanc independenter a decreto conditionali actu existente Deus certo cognoscit, quidquid creatura sub conditione libere vellet aut faceret; ergo et independenter a simili decreto cognoscere potest, quodcumque ipse Deus libere vellet aut faceret aliqua conditione posita; tum quia sicut Dei cognitio est supercomprehensiva voluntatis create, ita et comprehensiva omnino adæquans voluntatem suam: tum quia objectivum medium hujus cognitionis divinæ circa actus suos æque habetur ac medium objectivum circa actus humanæ voluntatis.

153. *Dico II.* Deus sua decreta libera, quæ de facto habet, cognoscit etiam per scientiam medium *reflexam*: adeoque haec datur etiam circa scientiam medium directam actualem.

*Prob.* Ut propositio sit vera absolute, non tantum sufficit ut objectum absolute sit, sed ut etiam sit sub aliqua conditione; quia si sub nulla conditione esset aut esse posset, simpliciter non esset; ergo adeo veritas propositionis absolute non impedit veritatem conditionatam, ut haec potius sit prior proprietate independentie et subsistendi consequentia; ergo et scientia Dei potest et debet haberi circa veritatem conditionatam priorem veritate absolute; ergo admittenda est scientia media *reflexa* circa scientiam medium directam actualem, atque hinc circa libera de cuncta quæ Deus de facto habet.

*Conf.* Rursus ex paritate scientiae mediae directæ. Volitiones creaturæ etiam actu existentes prius ratione cognoscuntur a Deo conditionatae quam absolute; adeoque cognosci eodem modo poterunt liberæ volitiones divinæ, quamvis absolute dentur.

154. *Dico III.* Videtur esse probabilius, quod, supposita in Deo scientia media *directa* et *reflexa*, Deus prius cognoscat sua decreta absoluta ut ponenda, quam ut actu posita.

*Prob.* Ex eo quod prius sit decretum ut ponendum, quam actu possum; cum ratio positionem hanc negandi sumatur a contrario: ac præterea inter Theologos hic conveniat, eo modo quodlibet a Deo cognosci, quo modo est cognoscibile. Decretum divinum ut absolute ponendum non dependet ab actuali existentia illius habitudinis, quam dicit decretum actuale liberum, sed solum a conditione, sub qua prius fuit conditionate ponendum, purificata, et per quam constituitur in ratione decreti absoluti ut logice ponendi; decretum autem actuale dependet ab actuali habitudine, quam dicit ad objectum: sed conditio purificatur in priori signo per scientiam medium directam seu independenter ab actuali decreto; decretum autem actuale habetur in signo posteriori, ut patet ex signis rationis, quæ hic formari possunt. Nam in *primo* signo, quod est simplicis intelligentiae, spectatur decretum logice possibile; in *secundo*, quod est scientiae mediae reflexa, spectatur decretum conditionatae ponendum, quia hoc signum dicit v. g. si viderem Petrum consensurum huic auxilio, illud ei darem; in *tertio*, quod est scientiae mediae directæ, spectatur decretum absolute ponendum, quia enim hoc signum dicit v. g. sed video Petrum consensurum huic auxilio, purificatur conditio, per cuius purificationem constituitur decretum absolu-

tum logice ponendum; in *quarto*, quod est scientiae visionis, spectatur decretum absolute positum actu, quia hoc signum dicit v. g. ergo dabo hoc auxilium. Ergo decretum ut ponendum, est in priori signo seu prius ratione, quam decretum ut actu existens; præsertim cum scientia media directa decretum divinum logice ponendum constituens sit quodammodo causa directiva decreti actualis; ergo et prius est cognoscibile, et a Deo cognoscitur.

*Conf.* Ideo divinum decretum prius est conditionate ponendum, quam actu existens, quia prior est scientia media directa ut logice possibilis et per modum conditionis importata, a qua decretum conditionate ponendum dependet et constituitur prius in ratione decreti conditionate ponendi, quam sit decretum actu existens: sed etiam prior est scientia media directa ut existens et purificans conditionem scientiae medie reflexæ, a qua dependet et per quam constituitur decretum absolute ponendum antequam sit decretum actuale; ergo si in Deo prius sit decretum conditionate ponendum, quam actu existens, etiam prius est absolute ponendum, quam actu existens.

153. *Observa.* Ex dictis colligi potest, quinam circa res creatas contingentes a nobis admittatur scientiae divinae secundum diversa rationis signa ordine et series: nempe in *primo* signo Deus per scientiam simplicis intelligentiae cognoscit rerum possibilitatem; in *secundo* per scientiam medium reflexam, quid ipse sub quacumque conditione esset facturus; in *tertio* per scientiam medium directam, quid creaturæ sub conditione quacumque essent facturæ; in *quarto* per scientiam visionis Deus cognoscit res absolute futuras, praesentes et preteritas. Quod autem scientia media *reflexa* ordine præcedat medium directam, ratio est *prima*, quia scientia media reflexa pro sua conditione habet scientiam medium directam ut logice possibilem: cum igitur scientia media directa prius sit logice possibilis quam existens, etiam prius est scientia media reflexa, quam directa. Altera est, quia, antequam absolute verna est hic complexus ex scientia media directa et decreto, quo Deus v. g. dicit: quia video Petrum consensurum auxilio tali, si illud ei daretur, dabo ei tale auxilium: jam prius relucet hæc veritas conditionata: si viderem Petrum consensurum auxilio tali, illud ei darem. Postrema est, quia prius debet videre Deus actus proprios sub conditione futuros, quam actus extraneos et alienos; imo in illo signo, in quo jam actu datur scientia media directa, Deus non potest amplius per scientiam medium reflexam dicere: si viderem, darem; sed debet per scientiam medium directam dicere: sed video; et per scientiam visionis subiungere: ergo dabo.

## ARTICULUS III.

## QUEMNAU USUM IN DEO HABEAT SCIENTIA MEDIA?

156. *Nota.* Præter propriam omniscientis perfectionem, quam Deo *præscientia* tribuit, eadem præsertim conduceat ad titulum divinae *providentia* tuendum. Est autem providentiae præcipuum munus, singularum rerum et maxime creaturarum rationalium proprios intendere fines, et media

decernere, per quæ fines hujusmodi infallibiliter et ad earum naturas accommodate attingantur; hoc autem ut perfectissime fiat, tria omnino necessaria sunt: 1<sup>o</sup>. requiritur, ut, dum aliquid Deus absolute decernit, etiamsi media cum fine tantum contingenter juncta adhibeat, per ea norit finem certo et infallibiliter obtinendum, quia aliqui cæca foret providentia et operatio fortuita: 2<sup>o</sup>. ut, dum infallibiliter decernit media et finem circa creature rationales, non lœdat libertatem, sed totam ejus indifferentiam relinquat; cum alias accommodate ad illarum naturam non ageret: 3<sup>o</sup>. ut, dum decernit medium seu auxilium gratiæ efficax, faciat speciale beneficium: dum autem inefficax decernit, non inferat maleficium; ut in abundantia ostendatur adesse favoris et dilectionis augmentum, in sufficientia vero abesse malignitas. An ad hæc prestanta non *utilis* duntaxat, sed et necessaria sit scientia media, hic queritur.

157. *Dico I.* Scientia media est necessaria ad *decreta divina* absoluta provide et sapienter formanda.

*Prob.* Ut Deus decernat sapienter circa finem et provide circa media ad finem conducentia, debet scire quinam modus agendi sit aptior ad finem assequendum, et quem eventum habitura sint media, quæ adhiberi possunt; quia omne agens propter finem nullam aliam regulam habet, quam considerationem futuri sub conditione, dicitque: si hoc medium elegero, hoc eveniet; si alterum sumpsero, eveniet aliud; quandoquidem alias imprudenter et cæco modo ageret. Sed hoc unice præstatur per scientiam medium; non enim ad hoc sufficit scientia *simplicis intelligentiae*; cum per eam Deus quidem videat quid fieri possit, aut quod media possent obtinere talem finem, si voluntas libere consentiat, cum media maneant indifferentia; minime autem videt, quoniam futurum sit, an voluntas nempe consensura, et media ista sint efficacia futura; cum hæc scientia respiciat tantum possibilia seu sub præcisa ratione possibilitatis; ergo.

*Conf.* Si ad formanda decreta Dei absoluta non esset necessaria scientia media, ergo quia sufficeret quod, supposita sola scientia possibilitatis, divina voluntas sit efficacissima; sed per hoc imprimis non intelligitur Deus agere provide et sapienter, utpote cuius intellectus non dirigeret voluntatem, sed pro ratione esset voluntas; quique non attenderet, quis modus agendi et quid naturæ cuiuslibet rei magis conveniat: deinde vel ponitur voluntas Dei efficacissima per media necessaria et ad unum ex se determinata, vel per media indifferentia: si 1<sup>um</sup>. ergo sicut cum ejusmodi mediis non potest stare libertas creatura, sic nec voluntas efficax per illa potest sufficere ad formanda decreta absoluta circa actus liberos creature: si 2<sup>um</sup>. ergo voluntas etiam efficacissima potest esse fallibilis, utpote dependens a mediis indifferentibus, nec habebit infallibilitatem nisi innixam scientiae mediæ, vi cuius norit media illa, quantumvis indifferentia, certo tamen esse conjungenda cum fine.

158. *Dico II.* Scientia media est necessaria ad conciliandam *libertatem* cum *efficacia* gratiæ et *certitudine* decretorum Dei, sive prædestinantis sive prædestinantis.

*Prob. 1<sup>a</sup>. p.* Ut cum libertate voluntatis creatæ concilietur efficacia gratiæ,  
ii. p. 1.